

646

Lib. VI. Cap. I.

unt, habitari verò eandem, scribunt recentiores, quorum testimonium praefertur.

LIBER VI.

CAP. I.

DE

ELENCHIS SOPHISTICIS IN GENERE,

I.

Aristoteles probaturus, dari Elenchos Sophisticos, provocat *l. de Soph. elench. c. 1. ad communem omnium hominum experientiam, quæ testatur, in quolibet rerum genere hanc deprehendi diversitatem, ut aliæ sint verè tales, aliæ verò solum videantur tales, cum verè non sint: Et enim habitum corporis, inquit d. l. alii bene constitutum habent, alii habere videntur, instar tribuarianum hostiarum tumentes & apparantes semet ipsos: quibus, iudice doctissimo Piccarto, respicit ad ritum Atheniensium, apud quos tribus diebus festis concertabant inter se de pingvedine victimarum. Itaque, (sunt verba Piccarti) si quibusdam tam obesa victimæ non essent, aperta cultello curti spiritum per arundinem inflabant, quâ inflatione victima turgebat & pingvedinem mentiebatur. Addit Philos. ibid. pulchri alii sunt propter pulchritudinem, alii per fucum videntur. Ei ne quis objiciat in animatis hoc obtinere, Arist. idem ostendit de inanimatis, cum*